

Thomas Lindemann Everhard Nigerdinus

Disputatio De Collationibus

Rostochii: Myliandrus, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728320657>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 5. Nov. 1608

Lindemann, Thoma *lc*

12 67
Disputatio
DE
COLLATIO.
NIBVS

Quam
D. O. M. A.

PRÆSIDE

Clarissimo ac Consultissimo Viro,
DN. THOMA LINDEMANNO I. U. D.
& in celeberrima Rostochiensium Academia Professo-
re publico; Præceptore suo colendo,

Publicæ discussioni submittit,
EVERHARDVS NIGERDINVS
Osnaburg. Westphalus.

Ad 5. diem Novembris hora 6. matutinâ
in auditorio magno.



ROSTOCHII
Ex Typographia Stephani Myliandii Anno 1608.

zu Jun.

18

COLLEGIUM

Universität
Bibliothek
Rostock

THESIS I

Rectè Plutarchus aequalitatem pacis & tranquillitatis
altricem, inaequalitatem seditionis & litigij matrem
appellat.

2. Aequalitatis haec cum in omnibus societatis politi-
ca actibus, tum verò in familia. Erciscunda ratione in-
vunda accuratè servanda est.
3. Quod tum demum rectè fiet, si heredes, communem heredita-
tem aequaliter appetentes, pari jure bona propria conferant.
4. Modum verò collationis leges licet exquisitè satis demonstrant,
quia tamen is varijs Interpp. quaestionibus non parum intricatus, &
forensis de eo conflictus frequens, quotidianus & difficilis est, ideo
ὡλκισμὸν hanc veritatis indaganda amore proponere, & subjectas po-
sitiones publica discussioni subicere placuit.
5. Collationis vocabulum πῶλύσηρον est, & varijs modis in jure
usurpatur.
6. Nam in Jure Canonico est beneficij Ecclesiastici assignatio :
In Jure Civili alibi temporis vel negotij dilationem denotat ; alibi
pro munerum, seu tributorum indictione & exactione sumitur.
7. Hic verò nos Collationem appellamus bonorum propriorum
cum parentum hereditate commixtionem, aequalis & legitima divi-
sionis inter coheredes servanda causa factam.
8. Ea à Pratore primum inventa est : Sed cum per angustis cir-
cumscriberetur cancellis, utpote ad emancipatos directa, aequalitatis
insuper ratione habitâ, non solum interpretatione JC. sed & Impp.
constitutionibus aucta & innovata est.
9. Conferre itaq; tenentur liberi seu descendentes parentis de-
functi hereditatem participare volentes.
10. Nam singulari titulo succedentes, ut legatarij vel fideicom-
missarij particulares, aut codicillis relictum capientes, nihil conse-
runt.
11. Inprimis verò liberi emancipati suis & in potestate constitutis
conferunt.

12. *Idem in filijs, vel Imperiali rescripto vel legis auctoritate per oblationem precum sui juris effectis, receptum est.*
13. *Emancipati an emancipatis conferant dubium est? Nos illis assentimur, qui hoc tantum in donatione propter nuptias à parente profecta, non etiam in ceteris profectitijs constitutum esse censent.*
14. *Præterea sui tam emancipatis quam suis propria bona à parente profecta, velut dotem & propter nuptias donationem conferre jubentur.*
15. *Is qui in adoptiva familia est, non ipse sed is qui eum habet, nisi sine fraude emanciparit, conferre cogitur.*
16. *Sic filius patris sui successionem appetens, si sit sub avi potestate, avus eo nomine conferet.*
17. *Inter nepotes etiam, sive inter se, sive mixtim cum patruis, amitis, avunculis, materteris concurrentes, collationi locus est.*
18. *Hi tamen id quod ab avo vel avia, non verò quod à patre suo mortuo acquisierunt, conferunt.*
19. *Quod si plures sint nepotes jure representationis unius locum tenebunt.*
20. *Aliud est dicendum de liberis proximioris & remotioris gradus, puta si pater filium & nepotem ex filio instituit: Cum enim nepos iste tanquam extraneus invitetur, & ab intestato nullo modo patre videlicet eum præcedente, successurus sit, meritò etiam collatio inter eos cessabit.*
21. *Hac cum de liberis & descendantibus dicta sint, questionis est: An ascendentes, si ijs delata sit successio, conferre sibi invicem teneantur? Et negantium opinioni adhistimus.*
22. *Idem dicimus in Collateralibus & extraneis defuncti hereditibus, quos juris ratio à collationis onere eximit.*
23. *Vnde si cum liberis extranei succedendo concurrunt, collatio quidem quoad liberos, non verò extraneos locum habet.*
24. *Non autem refert sive eodem sive diverso jure, sive ex testamento sive ab intestato succedatur, nisi testator expresse prohibuerit.*
25. *An verò generalibus verbis testatorem hoc expressisse & signifi-*

significasse sufficiat, dubitatur? Licet communiter id affirmetur, veritate tamen legum inspectâ, id negari rectius cum Valasco existimamus.

26. Hinc concludimus: Filiam quam pater in testamento in longe minori portione instituit quam ceteros liberos, nullâ remissione dotis mentione factâ, nihilominus dotem conferre teneri.

27. Conferre tenentur liberi res proprias, qua in bonis eorum fuerunt eo tempore, quo pater fati munus implevit.

28. Sive sint res corporales sive incorporales, veluti actiones & nomina, tam purè quam sub conditione debita. Diversum est in legato conditionali, & injuriarum actione: nam hac vindicta magis quam pœna persecutionem habet.

29. Et ex illis quidem collationem admittunt ea tantum, qua de substantia ejus ascendenti, de cujus hereditate agitur, filio vel descendenti provenerunt.

30. Hinc dotem & propter nuptias donationem, si à parente proficiantur, omni jure conferendam esse dubium non est.

31. Quod si filia dos salva non est, ad collationem jure novo non tenetur, nisi in culpa fuerit, ut si marito ad inopiam vergente, illaq; sua potestatis & perfectâ aetatis existente, dotem non petierit: Culpa cessante actionem licet inanem conferendo liberabitur.

32. Cum verò dos confertur impensarum necessariorum, non verò ceterarum fit detractio: & ideo filia, qua soluto matrimonio conferre debuit, moram in conferendo committens, viri boni arbitratu usuras quoq; conferre cogetur.

33. Sumptus etiam à patre in convivio & festivitate nuptiarum ipsorum filiorum vel filiarum expensa, filius vel filia conferre non tenebitur.

34. In mundo, vestitu, ceterisq; ornamentis in elocatione liberorum factis cum communi distinguimus, ut vestimenta in usum quotidianum data in collationem non veniant: vestes verò pretiosa, ceteraq; ornamenta collationem desiderent.

35. Ea qua pater filio ob merita dedit ex affectione, & pietate.

rate, cum forsitan ab hostibus liberando, expendit, conferenda non sunt.

36. Pecuniam autem ob filij condemnationem à patre ex necessitate solutam, conferendam rectè Dd. asserunt: Et si peculium filius habuerit, ex illo pater soluisse censetur, ideoq; tunc ex quantitate peculij de jure collationis statuendum erit.

37. De pura ac simplici donatione an conferri debeat, magna est Dd. altercatio? Regulariter id negandum censemus.

38. Non tamen idem de ijs, quæ filijs, ut amplio rem dotem inveniunt, & in nobiliores familias transeant, à parentibus dantur, statuendum: hæc enim collationi subjacere verius est.

39. Adventitia bona, quæ filius, ex suo labore vel industria, vel ex alia qualibet persona acquirit, hodiè collationem non admittunt.

40. An verò in emancipatis hæc bonorum distinctio adhibenda sit, quaritur? Et licet emancipatis bona adventitia propriè habere dici nequeant, nec constitutio Justiniani de emancipatis quicquam expressè disponat, rationem tamen ejusdem ad emancipatos extendendam communiter Dd. arguunt.

41. Quod si de matris ipsius successione agitur, quin dos & propter nuptias donatio ab illa profecta conferenda sit, dubitandum non est.

42. Ususfructus verò adventitiorum bonorum, cum ad patrem pertineat, si qui exinde fructus à filio percepti sunt, nisi illud patre connivente factum fuerit, in collationem venient. Ipse tamen ususfructus, ut qui morte patris fructuarij extinctus est, nec in bonis nostris esse dicitur, non conferetur.

43. De eo multi sollicitè agunt: An lucrum quod filius mercator suo labore & industria pecuniã patris fecit, conferendum sit, vel non? Alij pro parte id conferendum putant: Sed magis est, si suo nomine & periculo negotiatus est, & lucrum industriã & labore acquisitum esse appareat, ut ex collationis necessitate illud eximamus.

44. Castrensia vel quasi castrensia bona nullo modo in collationem venire indubium semper fuit.

Ex

45. Ex quo illud manat, in armis & equis, in militiam eunti datus collationis onus cessare.

46. Similiter nec sumptus studenti filio à patre suppeditatos in familia et discunde iudicium venire arbitramur: Nisi filius in malos usus eos converterit, aut pater filij bona castrensia vel quasi administraverit, aut demum credendi animo pater misisse fuerit comprobatus.

47. Non tamen hisce casibus deterioris debet esse conditionis filius studium causa absens, eo, qui turpi torpens otio domi residet: ideoque detrahet id, quod pater in alimentis filij domi impensurus fuisset.

48. Libri quoque studiorum causa filio tam scholari quam titulo aliquo insignito, aut causas jam agenti comparati in collationem non adducendi: nisi parentis voluntas aliud suaserit: & tum aestimationem illorum conferendo eum liberari Dd. putant.

49. In expensis factis pro filio Doctoratus, Licentia vel Magistrij gradu decorando, idem est iudicium, cum pro honore quasi militiae consequendo erogentur, & sic in honorum quasi castrensi rationem cadant.

50. An idem etiam dicendum de impensis factis pro dignitate Ecclesiastica aut Canonatu impetrando? Quod sub distinctione affirmamus.

51. Sumptus verò studiorum usque eo filius habebit præcipuos, ut et alienum eo nomine in vita patris contractum, ex communi hereditate solvendum sit.

52. Mortuo tamen patre ex communi hereditate frater fratri sumptus ad studia necessarios prestare jure cogi nequit.

53. Omnis porro collatio fit, vel re ipsa, vel cautione, vel utroque modo.

54. Re ipsa fit, vel rem ipsam in medium conferendo, vel minus accipiendo, liberando, debitorem delegando, vel rem aliam dando, &c.

55. Cautione fieri dicitur collatio, si quis datis pignoribus, vel fidejussoribus securum faciat fratrem vel sororem, vel cui ea fieri debet, de bonis conferendis.

Utroque

56. *Viroq; modo collatio perficitur, si quadam dividantur, & de quibusdam caveatur, ut si quadam in occulto sint, vel quadam in commune redacta non esse dicantur, tunc enim propter incertum cautio erit interponenda.*

57. *Ea cautio committitur tum, cum interpellatus post aliquod spatium, quo potuit conferre, non contulit, proinde in eam quantitatem, quanti ea res erit, condemnabitur.*

58. *Quod si propter inopiam cavere non possit, curator portionis ejus constituitur, apud quem resecta pecunia collocetur, ut tum demum recipiat quod redactum est, cum propria bona contulerit.*

59. *Si verò neq; conferre neq; cavere velit, denegantur ei actiones, quæ pro sua portione hereditaria consequenda competunt, donec consilium mutet.*

60. *Si collatio omissa, & per errorem vel deceptionem divisio celebrata fuerit, imploratio officij judicis ad compellendum refractarium, ut pro ratione accepti conferat, conceditur.*

61. *Questionis adhuc est scitu necessaria: Vtrum necessario requiratur rem ipsam conferri, an verò per assimilationem collatio fieri possit? Et veriore sententiã sequentes, dicimus, rem ipsam regulariter conferendam esse.*

62. *Deniq; filium pacto, sibi præjudicare non posse, quo minus hereditaria actiones sibi competant, sed bona sua offerentem omninò audiri debere arbitramur.*



significasse sufficiat, dubitatur? Licet communitate
veritate tamen legum inspectâ, id negari rectius cum
mamus.

26. Hinc concludimus: Filiam quam pater in te
ge minori portione instituit quam ceteros liberos, in
dotis mentione factâ, nihilominus dotem conferre

27. Conferre tenentur liberi res proprias, qua in
runt eo tempore, quo pater fati munus implevit.

28. Sive sint res corporales sive incorporales, et
nomina, tam purè quam sub conditione debita. Di
gato conditionali, & injuriarum actione: nam ha
quam pœna persecutionem habet.

29. Et ex illis quidem collationem admittunt e
substantia ejus ascendenti, de cujus hereditate ag
scendenti provenerunt.

30. Hinc dotem & propter nuptias donationem,
ciscantur, omni jure conferendam esse dubium non e

31. Quod si filia dos salva non est, ad collationem
tenetur, nisi in culpa fuerit, ut si marito ad inopia
sua potestatis & perfectæ atatis existente, dotem non
cessante actionem licet inanem conferendo liberabi


32. Cum verò dos confertur impensarum necessa
caterarum fit detractio: & ideo filia, qua soluto m
re debuit, moram in conferendo committens, viri bo
ras quoq; conferre cogetur.

33. Sumptus etiam à patre in convivio & festi
ipforum filiorum vel filiarum expensa, filius vel fi
tenebitur.

34. In mundo, vestitu, ceterisq; ornamentis in
rum factis cum communi distinguimus, ut vestime
tidianum data in collationem non veniant: vestes
teraq; ornamenta collationem desiderent.

35. Ea qua pater filio ob merita dedit ex aff

A 3



the scale towards document